

D. D.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,
DE

**A S P I D E
S U R D A,**

Pſalm. LVIII: v. 5, 6.

QUAM

Suffrag. Ampliff. Facult. in Reg. ad Auram Academia,
Sub UMBONE

VIRI MAXIME REVERENDI atq; CELEBERRIMI

**D^N. CAROLI ABRAH.
CLEWBERG,**

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

Publicæ Candidorum censura submittit

ERICUS SANNHOLM,

AUSTRO-FENNO.

IN ACROAT. ACADEMICO MAJORI Die XVI. Jul.

Anni MDCCLVII.

H. A. M. C

ABOÆ, Impreſſit DIRECT. & Typogr. Reg. Mag. Duc.
Finland. JACOB MERCELL,

Georg. Magister Nybelin

D. D.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
A S P L D E
S U R D A

Quam
suffrag. scriptis, scriptis in fide et honoris academicis
JACOBI LIMONIE
JACOBI MAXIME PAVRETI DI 2^o CELEBRARI
D. CAROLI ABRAHAM.
CLEWBERG.
G. O. G. L. L. PROFESSORIS & O. G.

SEMIIS IN PHILOSOPHA HONORIBUS
JACOBI - Candidatus respectu
ERICUS SANNHOLM.
Austro - Finno
In ACADEMIA ACADEMICO MUNICIPIO DIE XVI JULII
ANNI MDCCLXXII
H. A. M. G.

H. A. M. G. Typographus & Typographus
JACOBI JACOB MERCELLI



PROOEMIUM.



Quemadmodum interpretem sacrum, cui genuinam Spiritus Sancti mentem adsequi curæ cordique est, variis naturæ donis ornatum volunt artis hermeneuticæ doctores: ita eundem nullo cum felici successu, officio suo fungi statuunt ejusdem artis periti, nisi notitia, non solum linguarum originalium, sed & disciplinarum variarum, instructus fuerit. Has inter haut ultimum sibi vindicat locum rerum naturalium scientia; siquidem hujus ope explicatio, non tantum plurium Scripturæ locorum, quæ operum divinorum, in stupendo naturæ regno, mentionem faciunt, verum & similitudinum loquendique formularum, ex rebus naturalibus desumptarum, facilis & perspicua evadat. Hujus asserti veritatem neminem, eo confidentius spero, negaturum, quo notius sit, vel ipsam creationis historiam, descriptionem diluvii,

aliaque ejusdem indolis, ab empæctarum irrisionibus, calumniis & strophis, sine peritia Physices difficillime vindicari. Præterea Scriptura sæpissime meminit arborum, lapidum, animalium, avium, aliarumque rerum naturalium, quæ omnia, ignarus nostræ scientiæ penitus intelligere & explicare nequit. Eadem est ratio similitudinum & loquendi formularum, de quibus bene AUGUSTINUS: (a) *Rerum physicarum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, quum ignoramus vel animantium vel lapidum vel herbarum naturas, aliarumque rerum, quæ plerumque in scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur.* Occurrunt, scilicet, in Codice Sacro similitudines & loquendi formulæ, quæ intellectu difficiles sunt, nisi Interpres cognitione eorum, quæ ad Philosophiam Naturalem spectant, imbutus fuerit. Hujusmodi similitudine & loquendi formula utitur Hieropsaltes, Psalm LVIII: 5, 6. dum homines obstinatos, & admonitionis impatientes, comparat cum *serpentibus, qui aures obturant, ne vocem incantatoris audiant*, ex qua occasione disputant eruditi, num natura surdi inveniuntur serpentes, an vero arte quadam aures obturent: qualis eorum sit incantatio: & quæ mens Davidi fuerit, eum hæc verba proferret. Hæc & nostra, impræsentiarum erit opera. Quæ dum animum subeunt, ingenioli nostri fat tenuis optime conscii, tuam, C. L. benignitatem mitioremque censuram verborum, quo par est, honore expetimus.

(a) Lib. II. de doct. Christ. c. XVI.

§. I.

Primum, quod in loco Psaltis supra adducto attentione dignum judicant interpretes, est שרר פתן פתן sive aspis surda. פתן namque aspidem significat, quæ speciem serpentum constituit, cujus venenum omnium acutissimum est, & vitæ celerrime penetrat. (b) Hanc aspidem, nonnulli rabbinorum existimant, in senectute una aure obsurdescere, alteram vero pulvere opplere, ut vim incantatoris eludere queat. (c) Sed cum hoc merum esse commentum agnoscerent alii, surditatem aspidi tribuerunt naturalem. Fecit hoc BUSTAMANTINUS, putans ideo surdam dici, quod, ut acutissima visu, ita hebetissima auditu esset. (d) Verum ejus sententiam periti scrutatores naturæ invertunt, & aspidem multo plus auditu valere, quam visu statuunt. Ita PLINIUS: *Jam primum hebetes oculos huic malo dedit (natura) itaque excitatur, sed sapius auditu quam visu.* (e) Quod de toto genere aspidum idem testatur. Et, si naturali laboraret surditate aspis, cui necessitati succurrere vellet, aurem contra incantationis vim obturando? Surda enim sine hoc illam sentire nequit. Hæc cum secum reputarent alii, in contrariam ingressi sunt sententiam, surdamque aspidem dici voluerunt, non natura, sed consilio; quoniam, ut ait psaltes, aures obturat, ne vocem incantantis audiat. Modum autem, quo hæc obturatio peragebatur, describentes, referunt Augustinus, Cas-

siodorus, Beda, Isiodorus aliique, serpentem, simul ac fascinatoris mussitationem audire cœperit, unam aurem ad terram deprimere, alteram autem cauda obturare, donec carmen suum absolvisset incantans. Sed hoc rumori vulgi acceptum referunt prudentiores, ut adeo fidem vix mereatur. Interim ex Scriptura videtur posse elici, quosdam esse serpentes, quibus nulla vis incantatione inferri possit. Nam minatur DEUS, se missurum ad Israëlitas *נחשים צפענים אשר אין להם לחם*, *serpentes regulos, contra quos nulla est incantatio, (f)* & sapientissimus regum Salomon dicit: *אם ישך הנחש ואם כלוא לחש ואין יתרון לבעל הלשון* i. e. obtrectatori nullam esse præstantiam præ serpente, qui sine incantatione momorderit. *(g)* Quibus calculum adjicit David in dicto, cui lucem conciliare nitimur. Duplex oblectationis, qua fascino resistere solet serpens, eruditus suppetit modus: *unus*, quando recanit & contrario sibilo incantationem repellit: *alter* vero, quum cantu nihilo magis afficitur, quam si vel surdus, vel auribus obturatis esset. Ex his posterioriorem genuinum esse probat phrasis Hebræis familiaris, nam aurem obturare iisdem est, cantu nihil moveri. Sic enim Kimchius: *(b)* *Durus est ille serpens, in quem non magis proficit incantatio, quam si vel surdus esset, vel obturaret aurem, ne audiret carmina, quibus illum incantant.* Eadem phrasi dicitur, immisericors, qui afflictæ & pauperis eulatus & preces flebiles audire non vult *אשם אונן* a clamore pauperis *(i)* & vir pius *(k)* *אשם אונן*
משמע

דַּבַּר עֵשֶׂת i. e. a sanguinariis consiliis ita alienus est, neque magis ad ea attendit, quando ab impiis proponuntur, quam si aures haberet obturatas. Eodem sensu aspis a Davide aurem obturare dicitur, cum in eam cantus non magis valeret, quam si esset surda, auresque obturasset.

(b) Bochart. de animal. Script. sacr. p. II. Lib. III. C. V.
 (c) Salomon & Rabvenaki. (d) Lib. III. c. XI. de Scr. animal. (e) Lib. VIII. c. XXIII. (f) Jerem. VIII: 17.
 (g) Eccl. X: 11. (h) Loc. ad Psalm. (i) Prov. XXI: 13. (k) Jes. XXXIII: 15.

§. II.

EXposita jam mente Hieropfaltis, de surditate serpentum, in eo nunc operam nostram præcipue collocatam volumus, ut demonstremus, multos incantationis peritiam jactasse, eamque usu receptam fuisse. In hoc proposito eo brevioribus esse nobis licebit, quo luculentiora eaque fide magis digna prostant testimonia, omnem, hac de re dubitandi ansam remouentia. Sic ipsa Scriptura Judæos hujus fascini reos pronunciat. (l) Ab antiquissimis inde temporibus superstitionem hanc viguisse, occasionem conjectandi præbet fabula de Orpheo, Eurydicen ex inferis revocante, quam ita explicat Tzetzes, quod uxorem, quæ ab angue re vera erat morsa & de vita periclitaretur, incantationibus, quas noverat, & solertia & musa & multa doctrina ad vitam revocaverit.

verit. (m) Et Orpheum ejus artis peritum fuisse probat idem, ipsius Orphei verbis: *stridoremque sistere humi venientis draconis sciet, & serpentum repentium venenum extinguere.* (n) Immo nec unus aut alter, sed integræ gentes peritiam hanc jactitarunt. Inter has Marfi & Pfylli, quod omnibus notissimum est. Sed & Ægyptios *ἰπαισιδῆς ἰσι καλαρονήτους τὰς ὄφεις* *magica quadam ratione illi genti propria testatur Ælianus.* (o) De Melindensibus Geographus Nubiensis: *dicuntur noxia animalia ita incantare, ut nemini noceant, nisi cui ipsi voluerint.* (p) De Negritis Cadamustus: *sunt etiam fascinatores, id est, incantatores eximii. Fascinant præsertim serpentes.* Et de Peruanis Spitillus: *Puer festi tempore coronatus, altera manu telo instructa, altera vipera viva dependente, positam in loco quodam ornatissimo sedem occupat. Unde facile colligitur Dæmonis esse artes, cum a vipera non mordeatur.* (q) Nepoti principis Budomel testimonium perhibet Cadamustus, quod serpentes, in circulum, super terra designatum, compulerit. (r) Idem, de mago quodam Saltzburgensi proditum legimus, licet ab uno, reliquis fortiori, lethaliter vulneratus, diem obierit supremum. (s) Horum itaque testimoniorum intuitu, non possumus non firmiter nobis persuadere, unicuique ad oculum patere, quantum pretii, veteres incantationi tribuerint & quam usitata apud eos fuerit, quod ulterius probari posset, nisi præfixa brevitatis impedimento esset.

§. III. Mo-

(l) Vid. loc. supr. cit. (m) Chiliad. II. hist. LIV.

- (n) Op. de lapid. (o) Hist. Anim. Lib. VI. c. XXXIII.
 (p) Primi clim. p. VII. (q) In orb. nov. in collect.
 (r) Navig. c. XXVIII. (s) Delrio disquisit. magic.
 Lib. II. qu. XIII.

§. III.

Modus, quem in fascinando adhibuerunt artis periti, diversi erat generis. Nonnullis enim manu & tactu serpentes incantare moris erat. Alii circulum describebant & pharmaca adhibebant. Alii laminas, ligna, lapides & figuras talismanicas huic usui consecrabant. (t) Sed præcipue carminibus & cantilenis litarunt, quæ Hebræis מלחמים, *mussitationes* & *susurri* dicuntur. Solebant enim incantatores cantus & versus suos magicos intra labia confusurrare. Et horum mentionem facit Psaltes, dum serpentem vel aspidem aurem obturare dicit, ne vocem מלחמים, *mussitantium*, audiat. Credebantur autem serpentes, mussitatione hac, e cavernis & speluncis provocari & elici. Sic enim PLINIUS, eos extrahi cantu cogique in panam, affirmat, (u) & AUGUSTINUS, Putantur ait, audire & intelligere serpentes verba Marsorum, ut, eis incantantibus profiliant plerumque de latebris. (x) Hoc & de Ægyptiis, loco modo laudato perhibet ÆLIANUS. Idem Hebræos innuere existimant multi, dum fascinatorem חובר, *consociatorem*, h. e. talem, qui serpentes evocatos, in unum colligit & consociat, nominant. Ita Maimonides: חובר *genera-*
tim

tim notat eum, qui certis verbis & carminibus, ad mira quævis patranda utitur; speciatim autem eum, qui serpentes certis carminibus incantare solet. (y) Eadem videtur psaltis fuisse mens, quoniam addit, serpentem non audire vocem incantatorum neque חוכר חכרי טחכ, periti consociatoris consociationum, hoc est, ejus, qui artem callet serpentes ad se evocandi, & in unum congregandi. Hinc etiam interpres Chaldæus, cujus verba brevitate ergo latine apponemus, locum, in quo versamur, ita reddidit: *quæ (aspis) non audit vocem & verba Marforum, qui ligant serpentes.* Præterea cantu dicebantur fugari, sisti, stupefieri, ab omni veneno, ne morflu noceant, expurgari, immo & rumpi. Ejusdem efficacix carmina, in sanandis iis, quos morflu læsit anguis, credebantur. (z) De horum autem omnium veritate merito dubitaveris.

(t) Vid. auct. cit. ap. Bochart. (u) Lib. VIII. c. XVI. (x) De Genesi ad litter. Lib. XI. c. XXVIII. (y) Tract. Auoda Sara. c. XI, §. XI. (z) Vid. auct. cit. ap. Bochart.

§. IV.

Incantatio serpentum, utrum naturalibus ex causis, an vero concursu cacodæmonis peragatur, ardua est quæstio. Posterius vult AUGUSTINUS, existimans, DEum ideo, diabolo specialem quandam in serpentes, præ reliquis animantibus, concessisse

cessisse potestatem, quia uno eorum, ad seducendam primam omnium matrem Evam in Paradiso, abusus est. (a) Verum quam lubrico hæc ratio nitatur fundamento, unusquisque, vel me tacente, facillime perspicit. Sunt namque serpentes diversæ speciei, adeoque earum singulas hanc dedisse potestatem, tacente in primis S. Codice, sine temeritate adferi nequit. Dari autem media quædam naturalia, quibus animalcula hæc sopiri, fugari, provocari, & consequenter incantari possint, operosa non indiget probatione. Mentionem facit JOB. LUDOLFUS herbæ cujusdam, quam Habessinii ASSAZOE nominant, quæ serpentes maxime venenatos stupidos quasi & exanimes reddit. (b) Pari ratione, apud Sinenses animal quoddam reperitur, cujus nomen illis est HIANG TCHANG TSE. Hoc maximos serpentes, sine minima trucidat opera, quia ad aspectum illius, penitus rigescunt, sensusve amittunt. Hinc lignatores & carbonarii, cum in sylvis cædendis occupantur, aliquid ex hujus animalis mosco, secum portant. Sub ejus custodia obdormiunt securi, & si serpens aliquis eos appropinquare audeat, ita sopitur, & prope exanimatur odore mosci, ut gradum sistere cogatur. (c) Et quis negabit, plura ejusdem indolis, in natura reperiri? Hisce causis naturalibus, ars & industria suas porrigunt manus auxiliatrices. Multa enim, quæ circa fascinationes serpentum, primo intuitu magiæ tribuenda videntur, altius indagata, artis esse deprehenduntur. Assertum saltatione serpentum,

B

tum,

tum, quam præstigiatores Asiatici, quibusdam in locis, instituunt, confirmabimus. Serpentes, qui saltant, ex genere viperarum sunt, & apud Indos NAIJA dicuntur. Perverissimi & sui generis venenatissimi hi sunt; sed &, qui facillime circumduci possunt. In vasibus testaceis eos magistri illorum circumferunt, unde illos protrudunt, quando artem testari volunt suam. Hoc facto, ad iram excitatur vipera, vel baculo quodam exiguo, vel pugno contracto. Hinc in altum se erigit serpens, cauda sua innitens, sibilans & ad pugnam ineundam sese componens. Magister cantum quendam canere incipit, opponit angui pugnum suum, illumque flectit vel a dextra ad sinistram, vel a sinistra ad dextram, vel sursum vel deorsum. Hunc motum serpens capite & corpore imitatur, manens cauda immobili. Durat exercitium hoc per spatium semi horulæ; diutius illud vipera sustinere nequit. Et hæc agitatio serpentum saltationis nomine venire solet, quamvis loco non dimoveantur ipsi saltatores. (d) Ex his itaque apparet, omnia, quæ circa ita dictas serpentum saltationes, spectantium excitant admirationem, nec radici, quam manu tenere interdum præterdit mimus, nec cantui ejus magico originem debere, sed solummodo effectus esse dexteritatis & industriæ ipsius præstigiatoris. Neque fraus & dolus heic plane exulant. Mentionem supra §. II. fecimus eorum, qui artem serpentes in locum quendam definitum congregandi, jactarunt, idque præstiterunt.

runt. Hoc phænomenon magicis artibus adscribendum esse crediderunt veteres. Verum recentioris ævi attentio obstat, quo minus iis plene ad sentiri queamus. Observarunt nimirum nostræ ætatis scrutatores naturæ, serpentes, ut & reliqua animalia, certo anni tempore, & ad certum locum, generis propagandi causa, acervatim confluere. Talis coëundi locus mons, La ROCHETTE dictus, & in finibus Sabaudiaë situs, esse dicitur. Huc serpentes omnes, qui in proximis degunt, a decimo quinto mensis Junii, usque ad eundem diem Augusti, congregantur. Nonnulli fraudum architecti, qui loci & temporis haud ignari erant, imperitæ plebi persuasisse traduntur, tempore modo dicto, & ad locum nominatum serpentes semet congregaturos. Et cum exitus promisso responderet, credit plebs, hoc fascino eorum deberi. (e) Sic sæpissime phænomena naturalia, ab imperitis pro mirabilibus habentur. His jam perpensis, non possumus non contendere, causas naturales primarias, si non unicas, in serpentum incantatione, sibi vindicare partes. Nec quisquam nobis objiciat exemplum famigeratissimum Marforum & Psyllorum, de quibus constat, non solum sopiisse & fugasse serpentes, sed & exsugendo morsus eorum sanasse. Quidquid enim de his gentibus proditur, aut naturæ, aut etiam audaciæ & industriæ earum tribui debet. Prioris membri defensores, multos deprehendo veterum, qui corporibus Psyllorum ingenitum fuisse virus, serpenti-

bus exitiale, cujus odore sopirentur, statuunt: (f) Posteriori autem sententiæ medicus inclytus CEL-
SUS subscribit, qui eo majori jure, quod morsus
exfectos attinet, adfensum meretur, quo notius
fit, venenum, sine ullo periculo, in ore sumi pos-
se, modo statim evomatur. Interim tamen non
omnem maligni spiritus concursum sublaturu-
mus, probe gnari, multa ipsi, concessu Divino, in
mundo licere: Sic baculos magorum Ægyptiacorum
in serpentes conversos: (g) & diabolum in for-
ma pii Prophetæ Samuelis, impio regi Sauli ad-
paruisse, (h) legimus. Sed neque cogitatione ad-
sequi possumus, cur imprimis serpentes, præ reli-
quis animantibus, satanicæ potestati subjecti esse
debeant, quidni etiam Leones, Unicornes, Tigri-
des, Elephantes aliaque animalia ferociora? Pote-
statem autem cacodæmonis, super nostra animal-
cula, valde limitatam esse, probant exempla in-
cantatorum, qui ipsimet ab angvibus incantatis le-
thaliter morfi sunt, quorum ingens catalogus ex-
hiberi posset, si nobis vacaret.

(a) De Genesi ad litter. lib. XI. c. XXVIII. (b)
Comment. ad hist. Æth. p. 137. seqq. (c) Du Halde de-
script. de la Chine Tom. II. p. 185, 186. (d) Eng.
Kempfer. amoen. exot. fascic. III. obs. IX. p. 165. seqq.
(e) Jac. Martin la Religion des Gaulois. Tom. I. livr. I.
p. 205. (f) Plin. lib. VII. c. II. (g) Exod. VII. 11,
12. (h) 1. Sam. XXVIII, 14.

Quemadmodum fatis, ut speramus §. I. surditatem serpentibus nec naturalem competere, nec eos arte quadam aures obturare suas, demonstravimus; ita non possumus non in eam ingredi sententiam, incantatores, quoties fascinationes eorum exitum non fortirentur optatum, anguesque harum vim eluderent, imperitæ plebi persuasisse, naturalem auditus defectum, aut etiam arte contractum, in causa esse, cur obedientiam ipsis denegarent reptilia nostra. Credulitas vulgi prætextum hunc veritati congruum judicavit, & prouti se ad credendum allici passus erat, serpentes artibus diabolicis incantari, ita persuasione de modo, quo fascinationi resisterent, suum non denegavit adsensum. Hinc, successu temporis, proverbium & quædam loquendi formula, qua impii & obstinati, qui omnem omnino admonitionem susque deque habent, serpentibus, secundum opinionem receptam surdis & vim illatam spernentibus, assimilabantur, originem traxit suam. Hoc proverbio, postquam lingua illud civitate donavit, utebantur tam docti quam indocti; quorum vestigia dulcis ille Psaltes Israël premit, quando, loco præsentis, improborum duritiam & summam malitiam depingere ipsi est animus: ex toto enim contextu facillime apparet, Davidi rem esse cum pessimæ indolis hominibus & impietatis magistris, qui justitiam omnem nihili ducebant, admonitiones fabulerrimas spernebant,

bant, & qui ad summum improbitatis culmen eve-
 cti erant. Horum vesaniam & impietatem ita gra-
 phice rex pius, affectu concitatissimo correptus,
 delineare voluit, ut non solum ipsimet dementiam
 suam, oculis apertis cernerent, sed & alii, quorum
 intererat consortium nebulonum evitare. Et huic
 fini nihil aptius inveniri potuit, quam similitudo
 ex serpentibus desumpta. Eam itaque usurpat pius
 Psaltes non tantum ut hymno suo decus & orna-
 mentum conciliet, verum etiam ad emphasin &
 dictorum pondus augendum. Nec existimet quis-
 quam, Psaltem regium heic aliquid novi, & quod
 genti suæ insolitum erat, commisisse: nam notissi-
 mum est, & priscos & hodiernos orientis populos
 maximum similitudinibus figuratisve locutionibus
 statuere pretium, easque in deliciis habere, quod
 copia testimoniorum uberrime confirmari posset,
 nisi angustia temporis impedimento esset. Sed
 manum de tabula, adeoque Triadi gloria
 in secula nunquam terminanda.

